Stephanus Dei gratia Electus rex Polonia, magnus Dux Lituaniæ &c.
Princeps Transyluaniæ &c.

Magnifice sincere nobis dilecte. Salutem et omnem in primis foelicitatem sin[cer]itati uestræ precamur. Reddita sunt
hi nobis literæ Sin. V. quibus animum illum iam nobis satis ante perspectum luculenter declarat, et aduentui uro
in hoc regnum gratulatur. quod nobis etsi gratum est, tamen et illud officium gratissimum, quod præstat in
conciliandis hominum animis una cum Spectabili et magnifico Castellano Vilnensi, cuius autoritas sine dubio
in administrandis rebus Sin. uestræ adiumento est, atq etiamnunc plurimum in hoc Grodnensi conuentu
usui commodoq fuit, ut iam uix quidquam ibi difficultatis superesse arbitremur. Nam cognito aduentu nostro
plurimi ad consensum cæterorum ordinum sese adiungunt, prout iam et Prussia, et ex maiori Polonia præcipui
quiq, ut Marschalcus et generalis Czarncouius, qui cum alijs quamplurimis iam ad nos contendunt. Quod autem
impediri se difficultatibus patriæ Sin. V. scribit, quominus ad nos quamprimum accedat: equidem omnes eas facilius
sublatum iri existimamus, si Sin. V. una cum Castellano Vilnensi ad nos quamprimum sese conferat, ut mutuo habito
colloquio, omnia pro temporis et periculorum excurrentiu ratione communi consilio determinentur, et absq mora
rebus gerendis admoueatur manus. ea enim ratione et bello intestino, mutua nimirum concordia obuiam facilius
ibitur, et belli externi rationes expeditæ inibuntur. quibus de rebus non est nobis integrum neq consultum nobis
absentibus quidquam decernere, cum nondum ordinibus regni de publica declaratione magni ducatus Lituaniæ
constet. eadem est ratio quo minus designetur generalis belli, quod publica autoritate, nisi publice nostras
partes et autoritatem professis conferre nullatenus licet: nam quod ad aduersarios pertinet, illi ubi Sin.
V. ad nos accesserint, uel nulli erunt, uel facile reprimentur, cum legibus, tum etiam ubi necesse fuerit armis.
Quod quidem ad Moscum attinet, eius nihil moramur ferociam, modo uos concordes patriæ pro fide uestra non
desitis, in nobis quidem nulla erit mora, quo minus uel in persona nostra eius retardemus conatus, etiam
amissas magni Ducatus prouincias repetituri. Porro pacem perinde ille nobiscum habere cuperet, si Liuonia
et Russia illa ad Bresniam et Liouiam pars eidem a nobis concederetur: prout a Cæsare promissa prepropera
ista diuisione factum esse cognouimus, sed id prohibebit Deus, prohibebit et nostra et Reipub. V. dignitas.
Quapropter Sin. V. cum omnibus nostri studiosis (quod etiam literis ex Vysnia, nostris fecimus) hortamur
ne patriæ, nobisq consilio atq autoritate sua desint, sed primoq tempore sese Cracouiam conferant, atq in
medium consulant, quod nimirum etiam ordines mirifice urgeant, ut quamprimum coronatio peragatur,
cui diem ~~ad conductum~~ ad conductum Paschæ dixerunt, idq nobis hic tantum innotuit Mogilæ, quod
ipsum omnibus statibus magni ducatus Lituaniæ innotescere cupimus, cuius solemnitati Sin. V. ut intersit
hortamur: quod eo alacrius facere debent, cum nihil magis legibus magni Ducatus, rebusq consultum iuramento
nostro esse, quam etiam aliarum regni prouinciaru perspectum habeant; facturæ ea in re Sin. V. pro ratione
officij sui nobis rem grat[issi]ma, omni beneuolentiæ genere compensandam. Cæterum quod ad ordines magni Ducatus
Lituaniæ attinet, eos (prout Sin. V. monet) de aduentu nostro et coronatione, cum Sniatino tum Visnia esse
literis nostris monitos, iam Sin. V. compertum abunde existimamus. quam optime feliciterq ualere, atq
nulla interposita mora ad nos properare optamus. Datum in Mogilensi monasterio, decima nona die Aprilis
Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Sexto.

Stephanus Electus Rex

Mart. Berzeuiczy
pro cancell.

Stephanus Rex Electus gra
tias agit animo [illegible]
Chlebowicz qui ei concili
[illegible] [illegible] animis multi
elaborabat erga [illegible] Re
gem

2

1576 Chlebowicz

Magnifico Ioanni Chlebowicz Castellano Minscensi
Capitaneo Cruszwicensi [illegible] nobis sincere dilecto.



76